



Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges Francorvm, Carolvm Martellvm, ...

Gretser, Jacob

[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Pippinum Regem directa, in qua continentur gratiarum actiones, pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesia & vt Missum suum Romam dirigeret. XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistola eiusdem Papa, ad
Domnum Pippinum Regem directa, in qua continentur gra-
tularum actiones, pro exaltatione sanctæ Dei Ec-
clesiæ & ut Missum suum Romanam
dirigeret.*

XXXVII.



OMNO excellentissimo filio, & nostro spiri-
tali Compatri Pippino Regi Francorum,
& Patricio Romanorum PAVLVS Papa,

*Summ. 6.
Bar. 5
Cent.*

Dum illa, quæ nostris stipendiis aguntur, nulla possunt
obliuione deleri, quanto magis illa, quæ ad laudem,
Redemptoris domini Dei nostri, eiusque sacratissimæ
Ecclesiæ, & beati Petri, Apostolorum principis, ge-
runtur, nec temporum prolixitate, nec diuersitate,
qualitatum, obliuioni mandantur, sed semper ad glo-
riam supernæ potentia, & fidelium eius pio exemplo
permanent declarata; scias excellentissime fili, & spi-
ritalis Compater, bone orthodoxe Rex; præcellsa ve-
stra & pia operatio & in cælo coram angelis Dei illu-
strata fulget, & in vniuerso orbe terrarum laudabiliter
in cunctis gentibus permanet vulgata, quoniam ve-
stro, post Deum, auxilio, & optimo certamine sancta
spiritalis mater vestra, Dei Ecclesia, constat ab
inimicorum insidiis erepta, & orthodoxa Chri-
stianorum fides ab inpugnatoribus defensa; pro
quo exulta in Domino & latere benignissime Rex;
quia nomen excellentia tua, in libro vitæ exaratum
rutilat in conspectu Dei. Interea, dum tanta nostro
cordi desiderij capacitas imminet, de vestra prospere-
ritate latos certosque effici aptum prospeximus, missis
sanctæ Dei Ecclesiæ nostris relationibus, Excellentia
vestra

X

vestra

* *debitum*, *vel Simulū*
Et infra,
Epist. 41. vestrae persolvere, * dum nihil nobis dulcius nihilque
 suavius in hac vita existit, quam de vestra prosperitate
 in Domino iocundari, in eo, quod vestra salus, sanctae
 Dei Ecclesiae, & fidei exaltatio & vera defensio, ut sem-
 per scripsimus, existit; unde & à te, quia corporali vi-
 sione procul ab invicem consistimus, per nostras ta-
 men relationes amore mutuo spiritaliter adnecti de-
 sideramus.

Itaque nimis deprecamur Excellentiam vestram, si-
 cut per anteriores nostras literas postulandum direxi-
 mus, ut iubeatis vestrum fidelissimum Missum hic ad
 nos Romam dirigere, qui nobiscum pro insidiis ini-
 micorum demorari debeat, per quem & meritum rei,
 ut causae eventus exegerit Excellentiae vestrae debeat
 significare, unde nunc direximus ad vestram à Deo
 servatam Excellentiam praesentem Petrum, primum
 Defensorem sanctae nostrae Ecclesiae, fidelissimum Mis-
 sum, cui de omnibus Apostolicis causis iniuximus be-
 nignitati vestrae enarrandum, quem petimus hilari à
 vobis suscipi animo, eumque pro amore fautoris vestri
 B. Petri Apostolorum principis, in omnibus accepta-
 re, atque nostris precibus aurem benignitatis vestrae ad-
 commodare dignemini, & ad nos cum effectu atque læ-
 tabundis nuntiis absolvere iubeatis; suppliciter depreca-
 tione te bone orthodoxe Rex, quaesumus postulantes,
 ut sis nobis, post Deum, firmus protector ac defensor,
 constanter in eo, quod coepisti bono ac pio redemptio-
 nis sanctae Dei Ecclesiae permanens opere. Optimè
 enim praecellenti vestrae Christianitati compertum
 existit, quanta qualisque sit impia haereticorum Græco-
 rum malitia, inbianter meditantes atque insidiantes,
 qualiter Deo illis contrario sanctam Catholicam &
 Apo-

Apostolicam Ecclesiam humiliare atq; conculcare, & fidem sanctam orthodoxam atq; sanctorum Patrum traditionem destruere possint.

Sed tu, bone potentissime Rex, viriliter, sicut vere orthodoxus, eisdem impiis resistere hæreticis, atq; solite sanctam Dei Ecclesiam & Christianorū orthodoxam fidem, tuo à Deo protecto solito auxilio atq; congruo disposito defendere digneris, quoniam magnam, post Deum, in vestra Excellentia & fortissimi regni vestri brachio existit fiducia, & credimus quod, Deo cooperante, eadem nostra spes firma permanens ad optatum perducatur desiderium, vt merito ex hoc à iusto Domino Deo nostro, vobis in præsentī & futura vita tribuatur remuneratio, beato principe Apostolorum interueniente, pro cuius amore in eius decertatis causis, lætiq; solite de vestro proposito effecti, cum Propheta consona canere valeamus voce; saluū fac Domine Christianissimum Pippinum Regem, quem oleo sancto per manus Apostoli tui vngui præcepisti, & exaudi eum in quacunq; die inuocauerit te. Cum his verò deprecationibus, & hoc eius pietatem quæsumus, vt longo senio regni potentiam excellentiæ vestræ, commatri à Deo protectæ Reginae, atque amantissimis natis vestris Domnis Carolo & Carlomanno, præcellis Regibus Francorum & patriciis Romanorum, atq; nobilissimæ Domine Gifilæ salubriter concedat possidendam, tribuens vobis & æternam in cœlestibus regnis beatitudinem perfruentiam. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

X 2

Item